Lane Medical Library

DE

CACOCHYMIA CARCINOSA

ET DE

PSEUDOPLASMATIBUS,

QUAE INDE ORIUNTUR.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XXV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

CAROLUS GUSTAV. AHLEMEYER

HERFORDENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES TUEBUNTUR:

OSC. SCHWARTZ, med. et chir. Cand.
HERM. SCHAUENBURG, med. et chir. Cand.
GUIL. GOEDECKE, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0228

PATRUO

OPTIMO, DILECTISSIMO

J. B. AHLEMEYER,

ORDINUM SUPERIORUM PRAECEPTORI ET PROFESSORI THEODORIANI PADERBORNENSIS,

HANCCE

COMMENTATIONEM

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Hippocrates in aphorismis (VI, 38): „qui carcinomate occulto afficiuntur, inquit, eos non curare praestat; qui enim curantur, celeriter pereunt, qui non curantur, vel longa vita frui solent;“ ex quibus verbis satis elucet, jam ab antiquissimis temporibus cancrum ejusque perniciosam naturam haud ignota fuisse. Hac tamen voce intelligi voluerunt morbosum quemvis tumorem, qui sensim transit in ulcus gravissimum, maxime malignum, pessima facie et natura ac praebens fungos huc et illuc excrescentes, quod sine ulla salutis spe totum corpus horribili modo dissolutum et oppressum postremo ad grave exitium praecipitat. Morbi signa, vis et ratio et origo, prae ceteris pseudoplasmatum, quae in carcinosorum numero habebantur, structura et textura accuratiore notitia intelligentiaque omnino carebant. Procedentibus annis quamvis observationes et experientiae se accumularent, nihil tamen est, cur non contendam, quo majore studio res inquireretur, quo plures opiniones et sententiae de eadem ferrentur, eo turbatiorem et confusiorem illam factam esse. Alius aliter cancrum definiri voluit, alius has, alius illas varias ejus formas sumsit, alius cum his, alius cum illis neoplasmatibus eum confudit, natura quidem vel plurimum ab eo differentibus. „Induratio, scirrhus, cancer, carcinoma, aneurysma anastomoseos, telangiectasia, aneurysma varicosum, sarcoma medullare (fungus medullaris, melanosis, fungus haemato-

des), neuroscirrhus (neuroma), exostosis fungosa (spina ventosa), cancer glandularum, cancer caminianorum, cancer aquaticus, noli me tangere, cancer hydatidosus“: hae voces omnes significant res majore vel minore aut sine ullo jure cum morbo, de quo hoc loco dicendum, commixtas, quas nemo acute discernere potuit, de quibus, ut ita dicam, quot homines tot sententiae exstabant. Inter eos, qui novissimis temporibus de cancro ejusque formis scripserunt, maxime excellunt Burns, Hey, Abernethy, Wardrop, Maunoir, Breschet, Alibert, Laennec, Carswell, Cruveilhier.

Praeclarissimos illos viros et ex iis maxime Carswellium et Cruveilhierum optime de re nostra investiganda et illustranda meritos esse, cum dubitari non possit, nemo tamen erit, quem sententiis eorum sibi ipsis adversis et interdum omnino oppositis probe perspectis fugiat, quantum reliquum factum sit ad firma fundamenta, quibus observationes niterentur, struenda. Verum enim vero Germani ante omnes in hac re laudem sibi pararunt, quod acri suo ingenio strenuaque diligentia viam aperuerunt, qua exitus ex vasto labyrintho pateret. Ph. de Walther primus exstitit, qui multis rebus controversis acute perspectis et diligenter illustratis studiorum fructus praeclara illa commentatione (Ueber Verhärtung, Scirrhus, harten u. weichen Krebs, Medullarsarcom, Blutschwamm, Telangiectasie u. Aneurisma per anastomosin, Graefe's u. v. Walther's Journal, V. Bd., 1. Heft., pag. 190—196 u. pag. 563—575) foras dedit. Post hunc Kluge in scriptione (Classification d. chirurg. Krankh. Berlin, 1826) id, quod cancro intelligi oporteret, certius constituit, cum ei inter novas morbosas formationes organicas aptum locum

attribueret. Schoenlein primus docebat, varias carcinosas formas, in quarum numero etiam, qui antea nominati sunt, maligni fungi (fungus medullaris, haematodes, melanodes) et quaedam aneurysmatis formae habendae essent, natura, indole, symptomatibus, decursu, exitu etc. tam affines esse, ut naturalem morborum familiam constituere possint (Path. u. Ther., nach dessen Vorlesungen herausgegeb. v. Einigen seiner Zuhörer. IV. Aufl. 1839. III Thl., pag. 262—280). Plurimam autem lucem rei nostrae attulerunt immortales observationes, quas Joh. Mueller opere suo (Ueber d. feinern Bau u. d. Formen d. krankhaft. Geschwülste. Mit Abbildungen in Fol. Berl., 1838) edidit. Quamquam multi et hi praeclari viri opus praeparaverant, anatomia tamen pathologica cum tumorum in genere, tum vero carcinosorum ante Muellerum moles indigesta vera verbi notione erat; ejus igitur meritis hujus rei jactum est fundamentum, quo omnes futurae observationes nitentur. Attamen hoc loco Schleydenii et Schwannii theoria cellularum ad tam gloriosas res perficiendas viam stratam esse, non est dissimulandum. In cancri origine et evolutione illustranda prae omnibus excellit praestantissima commentatio Langenbeckii jun. („Ueber d. Entsteh. d. Venenkrebses u. d. Möglichkeit, Carcinome v. Menschen a. Thiere zu übertragen" in Schmidt's Jahrb. d. Medicin. Jahrg. 1840, pag. 99—104).

Quamquam ex illis, quae supra dixi, apparet, jam multa et laude satis digna in nostra re, inprimis quod attinet ad anatomiam pathologicam, condita esse, plura tamen posteriori aetati reservata sunt; neque ullum alium reperias morbum, cujus penitior natura, vis, origo dyscrasica, cujus ratio ad alias dyscrasias, cujus cura etc. magis

in dubio relicta sit. Meam quidem scripturam nihil aliud haberi velim, nisi officio effectam non recusando, cujus partes eo difficilius impleo, quominus idoneus et destinatus mihi videor, ut in publicum prodeam. Cum autem ea, quae in usitatissimis ipsisque recentissimis disciplinarum medicarum compendiis de carcinosi invenimus, nequaquam necessariam praebeant scientiam, sed, novissimarum inventionum minima ratione habita, quo saepius leguntur, eo magis propemodum rei intelligentiam turbent, operae pretium mihi visum est, ex limpidis purisque illis fontibus sententiam mihi conciliare, quam paucis explicare nunc mihi licet.

CAPUT PRIMUM.

De dyscrasiae carcinosae, qua semper ad carcinomata gignenda opus est, natura.

Carcinoma quodque, priusquam in corpore gignitur, semper praecedere debet propria quaedam et specialis sanguinis cacochymia, dyscrasia illa carcinosa a ceteris (syphilitica, scrophulosa, arthritica, psorica) omnino differens. Eorum opinionem, qui carcinosas formas, quamvis non exeant e morbo, quem dicimus constitutionalem, e quodam tamen corporis loco proficisci posse contendunt, antequam transeamus ad alia, omnino rejiciendam putamus. Fere omnes pathologi, ne celeberrimo quidem J. Muellero excepto, plus minusve animum ad sententiam inclinant, cancrum non semper a totius sanguinis aegrotatione, sed ab uno certoque corporis loco male affecto solummodo capere initium, fluidorum modo peculiari mutatam mixtionem primum in uno tantum corporis loco oboriri, postea exitiosa pseudoplasmatum, quae inde exeant, vi totum corpus opprimere. Quibus viris quamquam justam tribuo veneratio-

nem. intelligere tamen nequeo, quomodo pseudoplasmata, quae neque externo quodam contagio neque animalium plantarumve germine extrinsecus in corpus translato gigni constet, quae plerumque in corporis loco tam occulto lateant, ut hic ne minima quidem virium, quae rebus externis insint, inimicarum societate contingi possint, quae ab omnibus aliis et structura anatomica et charactere physiologico tam diversam indolem, tam malignam, tam solitariam voluntariamque exhibeant vitam parasiticam, ut naturam, validam illam medicatricem, omnisque artis contentiones et studia pervertant, quae denique cujusvis organicae texturae primordii instar ex vasis capillaribus transsudentur: quomodo, inquam, haec pseudoplasmata eundem in modum ab uno vel altero male affecto loco proficisci possint, quo simplex panniculi adiposi hypertrophia (lipomatosis), seu ossium (hyperostosis), seu quo cystoides, fibroides etc. Quid vero? Num quemquam invenias, qui scrophulosos glandularum tumores et tuberculosa concrementa unquam in loco quodam gigni putet, nisi ex interna corporis totius ratione dyscratica manent? Cancri exstirpationes, quibus factis idem non iterum sit reversus, tam rarae existunt, ut fere nullius sint hoc loco momenti: omnes enim recentissimae aetatis scriptores in eo consentiunt, plerosque, qui tali exstirpationis eventu prospero gloriati sint, rebus parum acute dijudicatis et discretis, bonae indolis tumores pro carcinosis habuisse. Huc accedit, quod, ubi pseudoplasmata carcinosa exstirpata sunt, rebus vel prosperrimis, primo eorum evolutionis tempore, quo nondum mollita sunt quietaque jacent et inertia, quo valetudo optima visa est, plerumque eadem natura et indole instructa redierunt. Sed fortasse dixerit quispiam: „exstant qui-

dem veri carcinomatis exempla, microscopio et analysi chemica a viris, quorum quisque laudat ingenium et experientiam probata, ubi exstirpata non solum non redierunt, sed integerrima subsecuta est sanitas et usque permansit; quod quidem fieri non potuisset, si illa ex universo sanguinis statu morboso essent profecta.“ Cum ea, quae sunt praemissa, libenter concedam, conclusa tamen jure refutanda puto. Quod invenimus, ut hac utar dyscrasia, in scrophulosi, idem contingere potest in carcinosi; illa enim, provectioribus annis saepe omnino evanescens, nil relinquit, nisi locos aliquos male affectos, vestigia illa morbi funditus exstincti, ut in oculo palpebrarum oras rubefactas, maculas corneae etc.; quae ipsa mala satis diu quamque curam despernere possunt. Dyscrasia carcinosa, postquam in locum quendam pseudoplasmata sua effudit, eodem modo — quod quidem raro invenimus — omnino decedere potest; nihilominus homo illis opprimi potest, quod materia carcinosa tantam exhibet peculiarem vim vitalem, ut nutrimento ex organismo sumendo crescat, contagium suum exitiosum postea sanguini tradat, et vera sanguinis perturbatione depravationeque orta mortem acceleret. Carcinoma si in tempore exstirpatur, quo degeneratio carcinosa exiguis continetur finibus, quo partes affines minus affectae sunt, quo vasa venosa et lymphatica et inprimis glandulae lymphaticae contagium nondum conceperunt, exstincta denique carcinosa dyscrasia, perfecta erit sanatio. Nil est, cur homo,' in cujus corpore carcinosa latet dyscrasia, misera et cachectica facie sit; quin etiam egregium exhibens colorem viriumque florem integerrima fruatur valetudine. Quid? Nonne haec, quae diximus, in iis quoque invenimus, qui laborant e tuberculis

ad suppurationem nondum spectantibus? Qua ipsa de causa magis horrendus est hostis, qui exiguis vestigiis in corpus obrepens, a nemine observatus, sensim vitam penitus evertat.

Carcinosae dyscrasiae natura, qua ab aliis dyscrasiis differt, parum adhuc est perspecta et observata. Id tantum constare videtur, propriam quandam et morbosam in sanguine gigni materiam, quae quandam in corporis partem transfusa in ea localem (ut hac voce utar) cancrum, tumorem carcinosum creat; quae, ubi in universali sanguine plurima nascitur aut in eundem recipitur, verae dyscrasiae carcinosae auctor habenda est. Saepe accidit, ut cacochymia carcinosa ex corporis habitu et facie minime eluceat, ut in homine lateat, qui sanitate prosperrima frui videtur; postea demum, cum pseudoplasmata, quae inde genita supra diximus, ac saepissime unica quidem, sed satis certa ejus signa exstant, magis aucta et conformata, praeter omnium exspectationem propria apparent symptomata, quae nulli nisi carcinosae dyscrasiae conveniunt, ac partim ex illa jam prius in corpore dormiente proficiscuntur, partim, quod quidem saepius accidit, e secundaria vi pseudoplasmatum, quae hac ipsa dyscrasiam exitiosum succum cellularumque germina in sanguinem mittendo excitent, atque nutritionis et reproductionis totiusque nervosi systematis organorum rationem commutent. Proprius formatur corporis habitus, melius ille quidem cognoscendus, quam describendus, qui musculis laxis, colore pallido et ad luridum vergente maxime est insignis. Schoenlein ait: „Summo jure colori carcinoso vim aliquam tribuunt medici, cum ex aegroti facie atque habitu carcinoma in internis partibus latens praesagire et perspicere saepe liceat. Transsudatur enim sub cutem mirum quantum et rigidam et asperam

gilva pituita, e qua existit flavus ille color, non ad rubrum vertens, ut in ictero, sed cum cinereo mixtus, ut apud mulieres uteri carcinomate laborantes valde conspicuus et cum chloasmate conjunctus est.“ Insignis est magna aegroti tristitia omniumque despicientia, quaecunque eum movere possint; artuum deinde dolor, difficilis digestio, mutata secretio etc. grave malum praesagire solent: ex quibus fontibus plerumque in diversis corporis partibus carcinomata parvis intervallis evadunt.

Ab hac dyscrasia carcinosa bene distinguendum est illud malum, quo in ultimo carcinomatum stadio, in eorum coctione (ut ita dicam) et exulceratione, status apparet cachecticus, putridus, hecticus, hydropicus: quem eundem invenimus in multis aliis, praecipue in his dyscrasiis, ex quibus pseudoplasmata in varias corporis partes profluant, quibus in putredinem redactis totus sanguis pervertitur; sed de hac re alibi.

Illius igitur — ut ad id, quod reliquimus, revertamus — e sanguine transsudatae materiae natura tam occulta et recondita est, quam aliarum (syphiliticae, psoricae, herpeticae), neque quidquam constat, e qua chemismi organici anomalia, e quibus chylificationis et sanguificationis vitiis profecta sit. Carcinomate affectorum sanguis revera insignem exhibet mutationem. Langenbeck jun. affirmavit in praeceptis doctissimis, quae de anatomia pathologica tradidit in Georgia Augusta, quorumque in perpetuum grato animo reminiscar, se, quotiescunque carcinosum sanguinem e venis emissum perscrutatus esset, usque invenisse magnam crustam, quam dicere solent phlogisticam; ejusdem fibrinum tam lente esse coagulatum, ut de ejus superficie hauriri potuisset; crustam ipsam corpuscula

granulata, lymphae corpusculis simillima, multasque olei guttulas exhibuisse. Hoc quidem constare videtur, propriam quandam materiam carcinosam, in sanguine formatam, cum materia plastica (chylasmate, blastemate) e vasis capillaribus exsudari, et inde manare pseudoplasmata organica, quibus idonea inest vis vitalis, ut sua sponte crescant et augeantur. Sicut quaevis textura organica, quod primi docebant Schwann et Schleyden, initium capit ex cellulis, item quoque in cancris fit. Ex cacoplastico igitur illo blastemate cellulae cum nucleis formantur, quae crescentes alias in se ipsis pariunt, aut in fibras convertuntur et formant membranas, in telam cellulosam, parenchyma quoddam vasis sanguiferis instructum, in illa deinde, ut paucis dicam, neoplasmata, quae nominibus carcinoma reticulare, fibrosum, medullare, alveolare etc. designantur. Iis inest vis propria, qua sua sponte crescunt, elementa in veri parasiti modum in suam vertant texturam; juvante dyscrasia, quae iisdem elementa praebeat ad assimilationem jam satis praeparata, admodum crescunt et augentur. Ea ipsa est proba et insignis carcinosae dyscrasiae indoles atque natura, qua sola saepe est cognoscenda, ut propria illa producat pseudoplasmata, quibus absentibus cogitari fere non possit. Materia vero illa carcinosa, nunquam intervallis sive paroxysmis transsudatur et secernitur, sed sensim, perpetuo et uno tenore, primum in uno loco, deinde in multis corporis partibus.

Carcinomatum singulorum formas, structuram et divisionem et cetera ex omnibus partibus subtiliter persequi nunc non ineptum videtur. Quae falsae et corruptae antea de hac re exstiterint sententiae, quanta fuerit usque ad recentissima tempora rerum confusio, e sexcentis scriptis

intelligere licet, quae quidem singula non negligere a proposito longe alienum puto. In rebus, quas deinceps pertentaturus sum, inprimis sequar Joh. Muellerum, paucis tantum in rebus minime gravibus ab eo dissentiens.

CAPUT SECUNDUM.

De pseudoplasmatibus carcinosis.

1. Descriptio anatomica.

Carcinomata — qua quidem voce cum Joh. Muellero pseudoplasmata carcinosa designamus — sunt tumores parasitici, ex cellulis germinativis profecti et earum evolutione crescentes; cum initio vasa desint, postea tamen plus minus in textura gignuntur, et quidem in tumorum semper centro initium capere videntur, neque quidquam ab aliis vasis differens exhibent vel singulare, neque iis tenuiora, neque crassiora, capillari nimirum magnitudine. Nervi et vasa lymphatica hucusque in iis non sunt observata. Carcinomata partim constant e cellulis accumulatis, aliis in aliis conditis (Carc. medull.), partim ex fibris, in quas cellulae mutantur (carc. fibr.). Insignis est eorum magna fluidi blastematis copia, totam texturam perfluentis et penetrantis, quod aut gelatinosum est et pellucidum (carc. alveol.), aut lacti est et flori lactis simillimum et unguinosis materiis abundans (carc. medull.). Carcinomata nunquam capsulis condita sunt, ut multi de multis formis falso affirmarunt, quod quidem in tumoribus bonae indolis invenitur. Haec est singularis eorum natura, ut, quodcunque propinquum et affine est, id dirimant et dissolvant atque inde nutrimenta capiant ac magis magisque in medium illud influant et sese intrudant. Quamquam igitur carcinomatum natura nil exhibet differens a sana organismi

textura, quamquam eorum elementa partim sunt eadem, quae in sano et adulto homine, partim tales, quae in foetu vivo inveniantur: e singulari tamen illa destruendi et producendi vi universales quaedam carcinomatum notae anatomicae et physiologicae existunt, quae in multis, imo plurimis jam nudis oculis perspiciantur.

Quod pertinet ad chemicam carcinomatum compositionem, fere nihil cognitum habemus; pauca alicujus momenti, quae hucusque explorata sunt, sunt haec: ex recenti carcinomate aqua frigida aliquid solubilis albuminis et osmazomatis extrahit; omnium tumorum carcinosorum elementa maximam partem constant e materiis albuminosis, coquendo non diluendis. Glutinum, quod in iis reperimus, convenire videtur telae cellulosae, quae in eorum formationem coit. Caseinum rarissime deest. In multis tumoribus (carc. medull.) exstat etiam copia pinguedinis, quae, si cerebri pinguedini non par, tamen simillima est. Praeterea materia salivino adaequans. Nil igitur his perspectum est, quod idem alii bonae indolis tumores, quin etiam omnibus partibus absoluti et perfecti, integerrimi textus non contineant.

I. Carcinoma durum (scirrhus, carcinoma, cancer etc.). Insigne est vasorum inopia, duritie cartilaginis, imo duritie eboris, colore pallido seu livido. In genere format tumores exigui ambitus, iniquae et asperae superficei, qui jam initio cum partibus propinquis concrescunt, qua re illius loci facies mutatur, ita ut umbilici modo imprimi soleat (carc. mammae). Cum tardissime crescat, cellulae satis habent morae ad texturam fibrosam formandam.

a) Carcinoma fibrosum (simplex). Ea est carci-

nomatis species, quae frequentissime nobis occurrit atque antea fere sola vere carcinosa habita et descripta est. Parvos format tumores eximia duritie, modo laevi, modo aspera superficie, interdum structura pannosa. Cultro perdiu resistit et sectum albidum exhibet colorem. Ipsa autem hujus carcinomatis massa ex materie fibrosa et granulosa constat; illam quidem non prius agnosces, quam hanc effoderis et eraseris, vel post macerationem: fibrosum enim, ut ita dicam, stroma est materiae granulosae, passim tantum et raro infusae. Haec composita est e globulis microscopicis, pellucidis, cavis, cellulosis. Cellulae plures, et inter se et cum fibris minus connexae, condere solent minora puncticula, nucleos, vesiculas. Stroma, quod diximus, fibrosum constat e fasciculis succosis, firmis, in omnes vias decussatis; qui formant macularum texturam maxime irregularem.

b) Carcinoma reticulare. Aliquanto majores format tumores, quam carc. fibrosum; raro est tam durum, saepe fungi medullaris mollitiem exhibens, magis inclinat ad lobos formandos. Differt praecipue ab illo figuris nitidis, reticularibus, quae jam principio in conspectum veniunt, ac per massam cineream vehuntur; constat etiam e massa globosa, in textura fasciculorum condita. Iisdem quidem, quibus c. simplex, pellucidis cellulis composita est massa illa cinerea. Insignes sunt figurae albae sive in flavum se vertentes, plus minusve conspicuae, propriae illae formationes, quae nunquam in hoc carcinomate deesse solent et compositae sunt ex granulis albidis neque cellulosis, neque vacuis, neque perspicuis. Quae ipsa postremo corpuscula progrediente evolutione, in diem magis accumulata, facile in maculas albidas irregulares confluunt.

c) Carcinoma alveolare (Cancer aréolaire gélatiniforme et pultacé Laennecii et Cruveilhierii). Constituitur e tela fibrarum et pagellarum solidissimarum et albidarum, quae innumero modo perstringuntur; ex tela, quae multas includit cellulas magnitudine arenae tenuissimae usque ad eam pisorum maximorum. Cellulae partim sunt clausae, partim cum adjacentibus communicantur, et omnes magnopere tenacem, claram, modo pellucidam gallertam (cancer aréolaire gélatiniforme), modo quandam pultis massam (cancer aréolaire pultacé) continent. Ope microscopii parvas has et minimas cellulas videmus alias includere, quibus iterum aliae continentur, in quarum pariete nucleus flavus et obscurus, aut in quibus corpuscula granulosa, in cavo libere deposita, facillime perspiciuntur. Quae quidem corpuscula granulosa cytoblastema sunt cellularum ex iis formandarum; quae cellulam primitivam crescendo explent, donec illa tandem dirupta id, quod continet, emittat. Tela fibrosa, ex maximis cellulis more solito profecta, stroma est cellulis postea conformandis. In eo, quod cellulae ad magnitudinem haud exiguam crescunt, maximum inesse videtur discrimen inter carc. alveol. et carc. simpl., nec non reticulare.

d) Carcinoma fasciculatum (hyalinum). Haec species, saepe nobis occurrens, transitum facere videtur ad carcinoma molle. Exhibet enim tumores molles, magnos, nonnunquam pannosos, jam vasorum non tam inopes, qui postea in exulceratione degenerant in massas fungosas. Substantia interdum est gelatinosa, pellucida; tumore rupto et persecto statim perspicies structuram fibrosam. Microscopio neque cellulas globosas, quas in aliis carcinomatibus, neque fungorum medullarium corpora caudata repe-

rimus. Fibrae ita dispositae sunt, ut e puncto divergentes emittantur et earum acumen in infimam, earum radix in asperam versa sit partem supremam; aut ita, ut fasciculi varia forment fibrarum systemata, cum magnae earum copiae unum vel complures componant fasciculos varia ratione accumulatos et dispertitos. Singuli fibrarum fasciculi omnino sunt sejuncti et separati vaginis cellulosis, quas vasa sanguifera percurrunt. Fibrae illae microscopio apparent pallidissimae, pellucidissimae, ut, nisi maxime inumbratae, non observentur. Superficies earum passim granulis obtecta.

II. Carcinoma molle (fungus medullaris, sarcoma medullare, fungus haematodes, spongoid inflammation, fishmilklike tumor, encephaloide etc.). Eminet carcinoma molle vasorum copia, plerumque egregia, crassitudine molli, magis spongiosa, colore modo albidiore (si minus exstat vasorum), modo rubriore, placentae seu lieni simili, celeriore, imo saepe rapido incremento. Magnos semper format tumores, in basi fixa positum usque immobile est, nisi mobiles corporis partes (glandulae lymph., testiculi) ab eo sint affectae. Tumor nisi adhuc circumdatus est firmis et arctis membranis, paene semper exhibet superficiem irregulariter lobatam. Si postea summam assecutus magnitudinem emori coepit, massae mollissimae, spongiosae et fungosae ex eo procedunt, quae quidem sanguinem et serum male olens effundunt. Num carcinomati molli vasa lymphatica insint — quae plurima inesse affirmat Schroeder van der Kolk — in medio relinquamus, licet summo jure in dubitationem vocare possimus. Per microscopium in tumore recenti praeter vasa sanguifera maxime conspicua est, massa quaedam medullaris, e globulis sive aliis cor-

pusculis constans, nec non stroma fibris tenuibus constructum, quo illa continetur. Massa, quam diximus, medullaris est in statu perfectissimo nitide alba seu subalbicans, perrupta et persecta variam prae se fert speciem; tum enim omnis deest fibrarum effigies, tum fibras parallelas, aut irregulariter dispositas aut radiatas, aut fasciculatas conspicere nobis videmur, ita tamen, ut fibrae nunquam probe et perspicue distinctae appareant. Quod ad chemicam hujus carcinomatis pertinet compositionem, commemorare sufficiet, multum pingue, et id quidem pinguedini cerebrali simillimum eo contineri et multas in eo unguinosas guttas inveniri dispersas. — Joh. Mueller, ad variam globulorum sive corpusculorum medullarium formam respiciens, dividit carc. medullare in 1, carc. medull., ubi massa medullaris, quae praevalet, constat e rotundis globulis praeter telam macularem tenuem, quae illam percurrit. 2, carc. medull., ubi massa medullaris constat e corpusculis pallidis, non caudatis, ellipticis, mollissimis. 3, carc. medull., ubi corpuscula illa sunt caudata vel fusiformia. Quas tamen differentias ad diversas constituendas species equidem sufficere nego. — Eodem modo diversae constitui possint species, quo magis rubrum, vel magis sanguineum, vel magis subnigrum colorem prae se ferant tumores; quod quidem ipsum pendet e majore minoreve copia vasorum, aut e sanguine effuso modo recente, modo jam dissoluto (carc. medull. album. — carc. med. proprie sic dictum —, carc. med. rubrum — fungus haemotodes —, carc. medull. nigrum — complures formae fungi, quem dicunt melanodem—). Sed hae quoque sunt differentiae minoris momenti, quae saepe omnes in uno tumore reperiuntur. Optima mihi vi-

dentur divisio, quam Langenbeck jun. in praeceptis de anat. pathol. nobis tradidit:

a) Carcinoma medullare encephaloides. Omnium est tumor mollissimus et, ubi percutitur, trepidat, ita ut multi errantes se fluctuationem animadvertere putaverint. Ex omnibus aliis maxime eximiam consequitur magnitudinem, neque ulla ratione differt substantia primo adspectu a neonati infantis cerebro. Etenim est albido-rubrum, pinguinosum, interdum semi-pellucidum, multa continens vasa sanguifera, quae diffusa in ramos permultos eximium exhibeant rete capillare. Corpusculorum medullarium stroma compositum est ex fibris tenuibus, subtilissimis, quae partim etiam ex cellulis appositis videntur constare.

b) Carcinoma medullare fibroso-tuberiforme. Differt ab eo, quod supra diximus, inprimis majore firmitate; nam complures format tumores tactu firmos, tuberosos, in quibus fixa basi usque subsidentibus nulla sentitur fluctuatio. Persectum ostendit parenchyma album, firmum, quod in partibus primo formatis vasis abundat. Cum copiam succi carcinosi, lactis flori similis, removeris, restat massa quaedam firma, fibrosa, quam microscopio ex fibris tenuibus, multum inter se implicatis, compositam animadvertes. Inter has quidem ipsas permultae cellulae carcinosae depositae sunt. Carcinoma, si in ossibus exstiterit, ossis luxurie stroma osseum calci simile praebet; massae fungi medullaris inter fibras osseas, molles, asbesto adaequantes sunt dispositae. Pulmo puellae cujusdam, e carcinomate medullari mortuae, qui sepositus est in collectione pathologico-anatomica Würceburgi, omnino infectus est tumoribus osseis, eadem structura, qua fungus medullaris, ex humeri cortice profectus.

De singulis quidem carcinomatis speciebus diximus: obiter tantum nunc commemorabo, a multis, ut a Joh. Muellero, etiam carcinoma melanodes propriam speciem haberi. Quod equidem nihil habeo, nisi complicationem melanosis benignae cum aliqua e cancriformis, quas jam diximus; nam sunt pigmenta nigra obscura, in cellulis carcinosis accumulata. Alii denique morbi, quos inter carcinomata retulerunt, ut cancer aquaticus, caminianorum etc., verae carcinosis formae non sunt. De quibus omnibus, si de diagnosi dicendum erit, aliquanto uberius disputabimus.

2. De generatione et sede pseudoplasmatum.

Carcinomata in telis modo occurrere videntur, quae vasa sanguifera continent; mirum est, cur eadem non item in telis, quae vasa sanguifera non continent (in lente crystallina), reperiantur, cum eorum germen fluidum facillime omnes partes organicas penetrare possit. Cruveilhier opinatur, carcinomata semper intra vasa eademque venarum capillaria oriri, quod quidem nullis argumentis est probandum ac firmandum. Generationem primariam et secundariam discernas oportet.

I. Primarie oritur pseudoplasma carcinosum: a) cum e vasis capillaribus transsudatum blastematis carcinosum cellulas germinantes, sensimque telam parasiticam completam gignat; b) cum e materia carcinosa in ipso sanguine corpus percurrente cellulae jam formentur, quae auctae adhaerescunt aut in vasis capillaribus, (quod frequentissime accidit), aut in corde, inter trabeculos carneos (quod quidem raro), postremo in venae cujusdam pariete, vel in ejus valvulis (quod etiam rarius fit), aut arteriae cujusdam (quod saltem cogitari potest): in his igitur locis ea-

dem, qua extra vasa, ratione augentur et crescunt cellulae carcinosae.

II. Secundarie gignitur carcinoma, cum ejus elementa a vasis venosis et lymphaticis hac ratione recipiantur: a) ut succus carcinosus — sine cellulis — editus e carcinomatibus excultis et utroque, quem jam diximus, modo ortis, vera resorptione recipiatur; b) ut cellulae carcinosae jam antea ortae, seu earum nuclei in exulceratione carcinomatum primarie genitorum, venis vasisque lymphaticis erosis, hiantibus, integerrima tamen vi asperantibus, in sanguinis circulationem inducantur. Cellulae carcinomatum hoc secundaria ratione ortorum creberrime in vasis capillaribus pulmonis aut hepatis (siquidem carcinoma primarie in intestinis ortum a venae portarum ramis resorptum est) inhaerere solent. Quod cellulae carcinosae in circulationis organis ortae etiam in his ipsis crescunt et augentur, nullo modo mirabile contraque omnium opinionem esse potest, cum respiciatur, quam sui juris, arbitrii ac potestatis materia carcinosa agat, multo illa omnibus sanis corporis partibus validior, cum hae ab illa vincantur et in ipsam mutentur. Quod quidem praeclaris Langenbeckii jun. in lucem editis observationibus vix nunc vocari possit in ullam dubitationem: nam cum succum carcinosum recentissimum, ex homine sumptum, in canis cujusdam venas injecisset, post menses aliquot in ejus pulmonibus carcinoma invenit humano prorsus par atque simile.

Quae cum ita sint, carcinomata inveniri in omnibus locis, ubicunque vasa sanguifera exstant, summo jure contendere licet. Multis in locis cum creberrime appareant, in multis rarissime, in multis nunquam obvia sunt; aliae species hunc, aliae illum locum prae ceteris amare, aut

solum sibi deligere videntur. Carcinomata primarie orta cum frequentissime reperiantur in partibus glandulosis (mamma, utero), tum in membranis fibrosis et seresis, tum in cute externa, denique in ossibus: secundarie orta semper ex ipsis organis, quae sanguinis inserviunt circuitui, evadunt. Glandularum lymphaticarum carcinomata omnia sine ulla exceptione primaria fere habenda puto. Pancreas, parotis, testiculi rarissime afficiuntur; qua de causa, difficile est argumentis confirmare. Quamquam in iis carcinomata rarissime aut nunquam inveniuntur, hoc tamen statui nolim, a carcinomatibus, quae in eorum vicinia versantur, organa illa sensim non posse dissolvi et consumi.

Quod Schoenlein prius proprium nervorum (fung. medull.), proprium arteriarum (aneurysma), proprium venarum (fung. melanod.), proprium vasorum capillarium carcinoma (fung. haematod.) constituit, hoc nostris adhuc temporibus accipere, si ad scientiarum physiologicarum et pathologicarum statum provectiorem respicis, nulla ratione excusari potest.

Aptissimus videtur hic locus, ut indicem singularum partium conficiam, in quibus variae carcinomatum species, aliae frequentissime, aliae rarissime reperiantur; sed praestat, id pathologiae earum, quam appellamus specialem, tradere, cum generatim modo de carcinosi scribere statuerim. In hujus tamen capitis fine omittere nequeo, omnes illas, quas enumeravi, carcinomatis species nequaquam semper penitus sejunctas et separatas inveniri, uti carcinoma quoddam medull. sive alveol. purum, sed in eodem tumore saepissime complures inesse species, quarum alia simul cum alia mixta est et alia in aliam transit; imo penitius etiam inter se junctae sunt et connatae, ita tamen, ut

partim mollis, partim duri carcinomatis signa magis eluceant.

CAPUT TERTIUM.

De progrediente carcinomate, de ejus exitu et prognosi, ac nonnulla de rebus, quae exstirpationem aut poscunt aut vetant.

E pseudoplasmatibus carcinosis solito more auctis signa quaedam morbosa prodire constat. Accuratissimam autem carcinomatis imaginem, veram ejus historiam componere, cum in genere est difficillimum, tum vero, singularum formarum habita ratione, fines huic commentationi positos quam maxime egreditur. Variae carcinomatum species et inter se ipsas complicationes, variae eorum in variis corporis partibus sedes, multa denique hujuscemodi plurimas efficiunt differentias. Contentus igitur sis, quaeso, lector benevole, hoc conatu, quem imperfectum mancumque esse et ipse bene intelligo.

Imaginem inprimis sumpsi de carcinomate, quod in corporis superficie ortum observationem, conspectum, periclitationem, ut ita dicam, non effugit; quod igitur pertinet ad cancros interiorum partium, ut hepatis, intestini tenuis etc., facile intelliges, quid, ut his quoque conveniat, supplendum, quid mutandum sit in descriptione nostra. Carcinomata in stadiis tribus procedunt.

Primum stadium (quietis). Carcinoma gignitur e cellularum primordio; vasa sanguifera vel desunt, vel pauca inveniuntur. Fere nunquam aegrotantes morbi originem indicare possunt, quod carcinoma neque ullum excitat dolorem, neque ulla est occasio vel conditio, e qua sive externa, mechanica, sive chemica etc. existere queat. Tumor comparet, certis circumscriptus finibus, mobilis in laxa

tela cellulosa, nulla morbosa tela circumdatus, aequalis, modo durus, modo mollior, non calidus, omnibus denique doloribus vacans.

Neque ulla ratione corpus totum ex hoc pseudoplasmate laborat, quamquam symptomata occurrere possunt, quae pertineant ad dyscrasiam carcinosam jam manifestam, aut ad alios morbos, qui forte accesserunt. In hoc stadio partis a carcinomate affectae functiones prope nunquam impediuntur, ni fortasse ratione mechanica, compressione, sanguinis circuitu leviter obstructo (si quidem est in corde), levi faecum obstructione (si in intestino quodam) etc. Cum initium fere nunquam observetur, spatium hujus stadio difficile est designatu; ceterum longius est in carcinomate duro, quam molli, cum illud lentius, hoc multo citius crescat. Multos saepe annos durare potest, inprimis si pars a pseudoplasmate affecta nulla ratione laeditur et irritatur.

Secundum stadium (irritationis). Hoc stadio carcinoma cancer occultus appellari solet, in quo carcinosa pseudoplasmatis natura jam facilius perspicitur, quamquam nondum est exulceratum. Initium stadii insigne redditur doloribus, primum subitis, fugacibus, stimulantibus, raro redeuntibus, qui postea magis tenent, frequentius redeunt atque iis sunt similes, quos a carbone ardente adusti sentire solent. Dolorem nervis carcinomati affinibus diffundi, nil est, cur commemorem. Quanam autem ratione excitantur? Hac puto: pseudoplasmatis, quod auctum suamque structuram consecutum est, succum gignit carcinosum, perniciosum, veneno fere simile, qui postremo nervos affines irritare valeat. Tumor immobilis fit, partim struendo se in medias telas affines adhuc sanas, non eas quidem disjiciendo, sed dissolvendo et penitus cum illis con-

fundendo; partim inflammatione in iis oriunda. Unde quidem fit, ut tumor non tam certis finibus circumscriptus videatur, magisque partes propinquas percurrat. Vasa hoc stadio maxime in pseudoplasmatibus formata ad horum vigorem et celerius incrementum multum valent. Huc accedit, ut partes affines in diem magis etiam afficiantur et irritentur, ut glandulae lymphaticae intumescant, ut doloribus vexentur, inflammentur, rubrae fiant et in illis ipsis postea carcinomata nova secundaria oriantur. Cutis, si quidem carcinomate laborat, extenditur, colorem exhibet lividum, subfuscum venisque impleta conspicitur et hic illic inflammata. Nunc subsequitur totius corporis aegrotatio magis minusve eximia; nutritionis functiones opprimuntur, musculi languescunt, fiunt lividi, sordide colorati, totaque facies speciem prae se fert propriam, carcinosam: uno verbo, ille apparet corporis habitus, quo indicatur dyscrasia carcinosa jam provectior.

Tertium stadium (exulcerationis). Pseudoplasma, ubi pervenit ad summam magnitudinem, in finem accelerans emoritur; tum dicunt de cancro aperto, ulcere cancroso. Pseudoplasmatis tela dissolvitur in liquorem putridum, qui plerumque, primum in interiore ejus parte obortus, tum foras progressus, exteriorem quoque in exulcerationem trahit. Ulcus tali modo ortum his signis conspicuum est: margines exhibet asperos, iniquos, dilaceratos, callosos, replicatos, cum basi iniqua, decolorata, in qua liquor putridus, tenuis, acris secernitur, cui insunt cellulae cancrosae destructae et magna salium anorganicorum copia. Ichor proprie foetideque olens colorem exhibet rubro-cinereum, subalbicantem; acido sulphurico superfusus effervescit, violarumque syrupo fit viridis. Ulcus sanguinem

facillime effundens, saepe, inprimis in carcinomate molli, tuberibus luxuriantibus, fungosis obstruitur, quae postea dissolvuntur. Regio propinqua inflammatione et induratione inflammatoria dura est et aspera tactu. Junctum est cum doloribus vehementibus, etiam magis mordentibus quam in stadio priore; omnes partes affines ne una quidem excepta pervertuntur, et exitiosa illa vis quoquoversus, omne spernens impedimentum, propagatur. Id quidem est ulceri singulare, quod, quamvis hae ejus partes emoriantur et in ichorem exeant, illae tamen summo vigore augentur, imo partes deletas explent fungis, ita ut totus tumor brassicae botryitidi similis fiat. Ejusmodi tumorem fungosum Himly quondam invenit in medio carcinomate nondum aperto, atque etiam complures minores Otto se conspexisse affirmat. Totius corporis valetudo in diem magis laeditur et evertitur, neque modo existit sola atrophia universalis, sed conditio illa putrida, hectica, quae in aliis quoque morbis, in quibus putrida in sanguinem mittantur et cum sanguine dissoluto depravato in omnes partes traducantur; quae quidem conditio nostro in morbo ab his maxime eo differt, quod ichor carcinosus prae ceteris maximam cladem sanguini infert. Cum autem vasa venosa et lymphatica erodantur, veras carcinomatum cellulas sanguini tradunt, quibus auctis carcinomata in partibus maxime variis secundarie nascuntur.

Si quidem ad omnia, quae supra diximus, respexeris, facile intelligas carcinomata inter morbos chronicos referenda esse, stadia autem in variis speciebus varia esse. Carcinomata, quae maximam partem constent e cellulis, quae breviori tempore oriantur et augeantur, celeriore cursu in finem accelerant quam ea, quae texturam magis fibrosam

etc. exhibeant. Malum saepe multos per menses et annos in primo stadio perseverat, priusquam irritationis stadium intrat, quod celerrime ad finem perducitur, exulcerationis denique stadio subsequente, quod quidem, inprimis in cute externa, ubi in ipsum ulcus adhiberi possunt medicamenta, quibus infringatur vis ejus perniciosa, valde extrahi potest. Neque raro inveniuntur cursus varietates, quae quidem ab anni temporibus vitaeque ratione pendere videntur. Conditio illa cachectica, si e carcinosa loci cujusdam affectione originem ducit, velociter ad mortem praecipitat.

Exitus, quem carcinosis habet, est duplex:

1) In refectionem perfectam. Qua conditione illa effici possit, si quidem omnino pseudoplasma cultro exstirpatum est, jam supra, ubi disserendum erat de eo, ex universali corporis dyscrasia carcinoma semper oriri oportere, satis disputatum est. Dyscrasia penitus exstincta vi naturae medicatricis desideratur, nam humana mens hucusque nullum invenit remedium, quo dyscrasia semel orta possit repelli. 2) In mortem. Quae ratione maxime varia existit: a) Sanguinis magna copia effundenda, quo vires in diem magis franguntur, neque id tantum in iis formis, quae vasis sanguiferis abundant, sed in omnibus, ubi exulceratione carcinosa magna vasa laeduntur. b) Febri putrida, hectica in ultimo carcinomatum stadio. c) Phlebitide, quae oritur e venarum irritatione, sive e materiis carcinosis in eas receptis. d) Compressione partium, quae necessario pertinent ad vitam servandam: quod accidit, ut exemplum proferam, in carcinomate in cerebri membranis sedem habente, vel in carcinomate, quod pericardio diremto cordis contractiones impedit etc. e) Hydrope, qui partim e sanguine dissoluto, partim e venarum magnarum

compressione, inprimis in metrocarcinomate, nascitur. f) Convulsionibus, si carcinoma nervorum systema aut partes ei proximas invasit. g) Tandem mors acceleratur, si in variis corporis partibus a dyscrasia carcinosa primarie et secundarie carcinomata generantur, quo fit, ut functionibus ad vitam maxime necessariis impeditis, vis vitalis non amplius persistere possit.

Prognosin carcinomatum fere semper de exitu pessimo statuendam esse, neminem fugit; longum eorum indicem conscribere, quibus tum ad bonam, tum ad malam partem vergat, et supervacaneum est atque inutile et ex iis, quae de carcinomatum natura supra diximus, satis cognoscitur. Quomodo autem dyscrasiam omnino exstinctam judicemus? Ut aperte dicam, nil habemus, quo in hac re dijudicanda nitamur; multos enim per annos quiscere potest in corpore dyscrasia, quin ulla ratione in illius habitu sive aliis symptomatibus manifestetur.

In dyscrasia aliquantum exculta, si exstirpatio suscipitur, saepe accidit, ut dyscrasia etiam magis excitetur et saepe pseudoplasmata deponat in organa diversissima, quae ad vitam sustinendam multo majoris sunt momenti, quam quae primo invasit. Carcinomate semel orto ceteram materiam carcinosam, quae sanguine contineatur, attrahi et ad ipsum adscisci opinor, quo quidem fit, ut eo exciso materia carcinosa in partes has et illas se effundere coacta sit. Carcinoma si in particulis tantum extinguatur, in eodem loco etiam majore vehementia crescit et augetur, quum cellulae carcinosae minus impediantur, ne vim vitalem libere exhibeant et simul sint irritatae.

Ex his, quae diximus, facile videbis, quae partes carcinomatum exstirpationi sint tribuendae. Carcinoma, si

etiam nunc versatur in primo evolutionis stadio, neque jam exculta est dyscrasia, exstirpatio semper indicata, imo sola vitae conservandae via esse mihi videtur. Pseudoplasma autem omnino excidi, ejusque originem perverti oportet, cum ejus reditum non semper exspectare volumus; qui quidem fieri solet, etiam dyscrasia penitus exstincta, dummodo cellulae aliquae carcinosae incolumes restent, quae satis magnam habent vim crescendi. Ne quid inexpertum omittamus, ad remedia nos recipere juvabit, quae magnam habent vim — hac mihi voce uti liceat — in metamorphosin organico-vegetativam (arsenicum, hydr. muriat. corros.); quacunque denique possumus, ut apta cura et victu commodo et salubri vitae ratione corpus reficiatur et roboretur, studere debemus: at dyscrasia si jam valde aucta et vigens est, eam medicamentis removendi conatum quoque facere possimus — quod pium quidem hucusque fuit desiderium. Omnino autem in hoc casu rejicienda est exstirpatio, eoque magis, ubi jam totum corpus carcinomate oppressum est, ubi partes affines etiam affectae apparent, ubi adest irritatio inflammatoria, et venae, vasa lymphatica glandulaeque lymphaticae jam in partem venerunt. Quando nil aliud, nisi partes propinquae inflammatione affectae, tum hac sedata instituenda est operatio, ni aliae res obstent.

CAPUT QUARTUM.

De Diagnosi.

Ut in hac re disserenda certi aliquid habeamus, in memoriam, quod necessario ad ejus naturam et indolem pertinere statuimus, nobis revocemus oportet. Summa erat antehac confusio, quam Ph. de Walther et Joh. Mueller maximam partem sustulerunt; attamen cancri diagnosin acutissimam in prima ejus periodo et initio secundae inter

res arti nostrae exercendae difficillimas referre licet, ita ut vel peritissimi medici facile in errores cadere possint. Si pseudoplasmata microscopii et analysis chemicae ope penitius perscrutamur, tum demum proba, qua par est ratione dignoscere valemus; quod quidem ut semper fiat, exoptandum, quum, non paululum e prognosi et cura instituenda pendeat. Longum est, omnes corporis affectiones morbosas enumerare, quae cum cancro commutari possint; hoc loco nonnisi de iis sermo erit, quae illi sunt simillimae.

I) Induratio (indur. benigna, scirrhus, struma, strophulus). Gignitur, si fibrinum, albuminum et salia in quandam corporis partem nutritione morbosa exsudantur, cujus frequentissima est causa inflammatio; idem vero etiam ceterae res, quae vim plasticam incitant, efficere possunt. Quod exsudatur, globulos cellulosos non continet. Tumor inde ortus magis diffusus est, aequalis, non per se solus, sed tela quae circumjacet participante, e loco removendus; non increscit, sed, quo diuturnior, eo tenacior, solidior et minor fit; ab initio cum doloribus, si efficitur inflammatione acuta, aut sine doloribus, si inflammatione chronica, causis aliis, incedit; dolores postea omnino evanescunt et nonnunquam modo occasionibus quibusdam revocantur, sunt nunquam quasi ictu vel igne inducti, sed magis obtusi et prementes; induratio est a principio exigua, post autem graviore, non eboris, sed ad summum corii duritie; non tuberosa, sed aequalis, laevis tactu, non in parte etiam indurata, sed in sana est posita. — Nonne satis tibi haec signa faciunt, ut discernas indurationem a carcinomate duro, quocum solo eam commutare possis?

II. Telangiectasia. Haec persaepe a scriptoribus est cum illa carcinomatis medull. varietate mixta, quae lo-

cupletissima vasis sanguiferis, quasi cum vasorum luxurie quadam conjuncta est. Telangiectasiae genuinae nil sunt, nisi bonae indolis pseudoplasmata, quae constant e vasorum sanguinis minimorum copia innumera, quae vasa non solum ectasica, sed etiam mirum quantum inter se convoluta sunt. Quamquam in exulceratione maturescentes et erumpentes tubera fungis similia proferre possunt, minime tamen sunt naturae carcinosae, cum tela propria medullaris desit. Neque in telangiectasiarum purarum numero eae usque haberi possunt, quae postea carcinosam exhibent indolem; nam quae vincuntur a carcinosi, post degenerant in pseudoplasma carcinosum. Cohaerent telangiectasiae cum vasis affinibus, sunt horum continuationes; quare iisdem temperantur viribus, quae toti praesunt vasorum systemati; plus minusve erectiles sunt, pulsantes, semper congenitae, neque ea crescunt ratione, qua fungus haematodes, telas circumjacentes omnino pervertendo et in se ipsas mutando, sed tarde augentur et sero, imprimis si irritantur, transeunt in exulcerationem, non illa quidem tumorum carcinosorum indole malefica. Summam multoque ampliorem quam carcinomata assequi possunt magnitudinem, neque unquam cum illorum doloribus propriis conjunguntur.

III. Melanosis. Sumserunt proprium carcinoma melanodes sub nomine fungi melanodis. Minus recte quidem. Hanc enim formam nil aliud habeo, atque carcinosin, cum melanosi benigna complicatam. Structura, quam in carcinomate illo melanode invenimus, nulla ratione a ceterorum pseudoplasmatum carcinosorum natura differt, nisi quod in illo formatur nigrum pigmentum; quod frequentissimum est in tumoribus carcinosis structurae fibrosae, ne-

que non in carcinomate medullari. Cellulae microscopio discernendae in tumorum tela sunt dispersae, granulis nigris seu flavis impletae, quae sunt disjuncta, rotunda, oblonga, caudata: eaedem, ne longus fiam, cellulae, quae etiam in partibus sanis inveniuntur, ut in choroidea etc. Saepe accidit, ut omnia pigmenti corpuscula sine cellulis libere in stromatis maculis inhaereant, quae fortasse, ut Joh. Mueller opinatur, dissolutis cellulis, in quibus primo formata sunt, sola remanserunt. Illi tantum bonae indolis tumores melanotici, quos Carswell appellat melanomata, i. e. melanosis tuberiformis, cum melanosi carcinosa mutari possunt; etenim melanosis punctata, stratiformis, liquida (ubi pigmenta folliculis inclusa sunt) semper bonam exhibent indolem. Melanoma tumorum bonae indolis proprie est varietas, constat e compluribus formis parvis, acinosis, connatis, galli cristae similibus; plerumque in cute invenitur. Pseudoplasma nigrum quando simul cum carcinomate incolorato in corpore existit, jam ex eo plerumque de natura maligna concludendum est. Quod quidem si non invenitur, ad microscopium se recipere oportet. Melanoma lentissimo gradu saepe viginti per annos ad amplissimam pervehitur magnitudinem; nunquam dolores, sed pruritum tantum excitat, neque unquam cum partibus affinibus conjugatur. Saepe aliquam videtur inire societatem cum plethora abdominali seu morbo hepatico; nunquam tamen ex una dyscrasiarum specialium exoritur. Stadiis posterioribus carcinomata a melanomatibus bene sunt distinguenda: scilicet in his dolores, ulceratio illa peculiaris validaque delendi vis, id quod est proprium carcinosi, omnino desunt.

IV Sarcoma. Tumores sunt bonae indolis, quorum structura cum nulla alia sana congruit. Duae existunt species: 1) Sarcoma simplex, quod ex una et eadem compositum est tela: a) Sarc. albuminosum Muelleri, b) Sarc. gelatinosum, colonema Muelleri, cancer coloide Francogallorum, c) Sarc. membranarum mucosarum, polypi. 2) Sarc. compositum, quod e variis texturis constans, aut cystas stromate fibroso continet, aut telarum species valde varias, ut melanomata, lipomata, chondromata, massas arbori vitae cerebelli, pancreati etc. simillimas. Hoc persaepe nobis occurrit in mamma muliebri, testiculo, utero, tela cellulosa subcutanea, summam plerumque magnitudinem assequitur. a) Cystosarcoma (simplex, proliferum, phyllodes), b) Sarc. dispar. — Summa, qua differunt sarcomata a carcinomatibus, haec est: tumores formant fixos, fracidos, in-

cremento infinito, neque unquam in amplitudine eorum immensa mollities sive ulceratio animadvertitur. Nunquam cum telis affinibus concrescunt, sed sensim eas expandendo et comprimendo dissolvunt et e dissolutis eminent; nunquam eas in telam sarcomatosam convertunt, semper in loco, quo sedent, moveri possunt. Per se nunquam dolores efficiunt, nisi ab iis crescentibus nervi vehementius comprimuntur. Nunquam e corporis fluidorum depravatione prodeunt, neque ea subsequitur dyscrasia cachectica; funditus quoque exstirpata nunquam redeunt. Quamquam, ut malae indolis tumores, e blastemate nascuntur, quod in cellulas mutatur etc., vita tamen illis deest propria exitiosa, parasitica, deest fluidi germinis copia, quae reperiuntur in carcinomatibus. Ob tardum illorum incrementum minus in iis cellulas, quam fibras, foliola etc. videmus.

V. Quaedam alia pseudoplasmata. Tumores fibrosi. Constant e textura sine lege et arte formata, fibro-tendinosa, minime e corporis totius sanguine morboso prodeunt, sed indolis sunt optimae. Frequentissime exstant in utero, rarius in membranis fibrosis, ut in dura matre, tum in glandulis iisque acinosis, quae saepe omnino in fibroides mutantur, ut in mamma muliebri, parotide, glandula thyreoidea etc., ubi e tela cellulosa interlobulari initium capere videntur et inde submovent substantiam glandulosam. In maculis suis substantiam quandam granulosam continere assolent, interdum cellulas quoque granulis completas, nunquam tamen tantam earum copiam, quantam carcinomata possident. Tumores formant firmos, raro ossium duritie, qui ad eximiam pervenire possunt ampletudinem, priusquam partes affines persolvant. Lentissimo gradu saepe totam per vitam procedentes nunquam in exulcerationem transeunt, neque raro fit, ut in massam calci similem convertantur. Enchondromata. Frequentissime in medullari phalangum digitorum substantia gignuntur; substantiam corticalem urgendo extendunt in capsulam sphaericam, nullos excitant dolores. Textura, microscopio inspecta, eadem est, quam in cartilagine in os transitura invenimus; in persectione colorem exhibet sublividum, subflavum. Deest in carcinomate massa cartilaginea, pro qua in eo est albuminosa; fungus medullaris, ex osse medio progredieus, neque hoc perfringit, neque in capsulam, ut ita dicam, inflat; si in ossis superficie oritur, spicula tenuia, ossea saepissime continet. Quamvis durus sit scirrhus, nil tamen cartila-

ginis in eo invenies; carcinomatis alveolaris cavitates gelatina completae sunt, ejusque structuram ab enchondromate diversam et chemia docet et microscopium. Enchondromata bonae sunt indolis; etsi in multis simul locis interdum oriuntur, e nulla tamen universali causa profluere videntur, neque unquam post exstirpationem, minus etiam puram, redire solent. Amplitudinem egregiam adipiscuntur, sero in dissolutionem exeunt, dolores non concitant etc. Tumores cystici. Bonae indolis sunt, nunquam e dyscrasia profecti, nullum sanitati detrimentum afferre possunt, cum in ulcerationes exitiosas non transeant, tardo procedant, imo per totam vitam saepe in eodem statu permaneant. Insident fere semper in laxa tela cellulosa, certis finibus sunt circumscripti, aequaliter duri, non asperi, minime fungo tactu similes.

VI. Ulcera dyscrasica. Ulcera carcinosa tam propria excellunt natura, ut difficilia sint cum aliis commutatu. Attamen accidere potest, imprimis si ulcera mala curatione faciem miseram acceperunt, ut difficilior sit diagnosis. Tum potissimum in errorem induci possumus, quando ulcera non carcinosa indolem sibi parant cachecticam, imo carcinosae simillimam, vel ipsam carcinosam. Quod cum acciderit, plerumque etiam in aliis locis pseudoplasmata vera carcinosa, sive alia dyscrasiae carcinosae signa inveniuntur. Mueller ait: „e facie mala, e studio, omnia evertendi et dissolvendi, nunquam ulcus carcinosum cognosci potest; tum etiam herpes rodens carcinoma habendus esset. Ulcus carcinosum e nodis carcinosis semper oriri et sua ipsius vi structuram musculorum, ossium (nulla accedente carie sive necrosi) etc. pervertere et dissolvere oportet.“ Ceterum respiciendum est ad cancri aperti descriptionem, quam supra dedimus, quae sat multa praebet discrimina, ut ulcera carcinosa a ceteris distinguas. Addere licet, ulcera gangraenosa usque exhibere partes organicas vere emortuas, in quibus structura sana plus minus jam cognoscatur, quae non, ut in carcinosi, in unam massam dissolutae et dilutae sint, eademque non vi organico-vitali destruenda, sed affinibus partibus emoribundis augeri et extendi. — Cancer aquaticus. Morbus est gangraenae nosocomiali, anginae malignae, stomacacae simillimus, membranae mucosae ulcus, quod e vesicula parva, decolorata, saepe e cremore quodam albido editum, transit in exitiosam omnium partium affinium dissolutionem. Malum est septicum, quod cohaeret cum cachexia sanguinis ge-

nerali, non cum certa quadam dyscrasia, quod praecipue in infantibus male nutritis parentum pauperum occurrit, ac via acutissima in mortem praecipitat. — Cancer caminianorum hos homines plerumque invadit, qui caminos detergere sive multum in fuligine versari solent; semper eum malum topicum esse constat; omnino excisus salubilis est; ad eundem in cursu exitioso alias degenerationes vere carcinosas accedere nemo hucusque observavit: mea quidem sententia in carcinomatum numero nulla ratione haberi potest, quamvis cetera ejus symptomata multa scirrho simplici similia existant.

CAPUT QUINTUM.

Aetiologia.

Quod carcinosis natura et origo nobis tam ignota est, multo magis ignota, quam ceterarum dyscrasiarum, maxime est dolendum. Num carcinomata vera in animalibus inveniantur, quod Gurlt contendit et Otto negat, num barbari Americani eunquam iis afficiantur, itaque eadem a cultu et humanitate nostra gignantur (Alibert), hoc loco dijudicare non ausim; multa quidem in partem utramque dici possunt. Hoc loco iterum in memoriam revocare cogor, carcinomata semper e cacochymia carcinosa sanguini inhaerente proficisci mihi videri. Eam sententiam, ulcera mala curatione, irritatione perpetua etc. in carcinoma mutari, indurationem simplicem eadem ratione in carcinoma transire, tumorem initio bonae indolis postea in carcinosum degenerare posse, omnino improbandam arbitror. Hoc vero per dyscrasiam carcinosam fieri posse, nil est, cur negem; puto autem, id e materiis vere carcinosis in ulcera, indurationes, tumores translatis exire, quibus tandem haec opprimantur, mutantur, in carcinosa mutentur, ac statuo, illud saltem rarissime accidere et dyscrasiam carcinosam eos potius sibi eligere locos, in quos minus impedita se effundere et ubi liberius dominari possit. Quum carcinomata propria sint neoplasmata, ne unquam quidem, quamvis saepe eligant locum minoris resistentiae — qua ipsa de causa saepenumero sunt obvia mulierium genitalium carcinomata —, attamen ne unquam quidem, inquam, ab inflammatione vera nascuntur, neque quidquam Broussaisii sententia absurdius inveniri potest, ea omnia ab inflammatione capere initium. Et fungus medullaris et scirrhus ex eadem effluunt dyscrasia carcinosa,

in eodem interdum corpore exstant, altero exstirpato redit alter, duri et mollis carcinomatis species eadem exhibent signa (dolores cancrosos etc.), quae omnia nos movere debent, ut ambo una eademque morborum familia contineri existimemus. Plurimi medici consentiunt, carcinosin in multis familiis hereditate tradi posteris, quod idem probat experientia. Langenbeck jun. narravit, in tribus ventriculi carcinomatibus, quorum sectionem instituendi sibi data esset occasio, etiam parentes ventriculi carcinomate mortuos esse; se invenisse penis carcinoma in viro, cujus pater ex eodem malo laborasset; mammae carcinoma extitisse in avia, matre, filia. Qua de causa quaestionem proposuit, num carcinoma in ejusdem sexus tantum descendentes conferatur. Fungus medullaris saepe nobis occurrit in infantibus, qui conditionibus sanitati prosperrimis nutriti et eruditi sunt, in quibus nil reperimus, quo dyscrasia gigni possit. Quid igitur veri est similius, quam malum hereditate esse traditum?

Carcinosis, si minus ex hereditate, ex variis dyscrasiis oboritur, neque unquam ejus formae apparent, quin in unam earum diligenter inquirentes incidamus. Plerumque autem eadem e duarum vel complurium dyscrasiarum in eodem homine penitiore conjunctione prodire videtur. Cujus rei argumenta sunt omnia morbi exempla, quae Ph. de Walther in commentatione praeclara saepe citata nobis tradidit: neque viri doctissimi et maxime in arte medica exercenda versati, ab opinione nostra dissentiunt. Frequentissime syphilis, psora, arthritis, haemorrhois in carcinosin degenerare videntur, rarius scrophulosis, lepra etc. Num certae carcinomatum formae certis respondeant dyscrasiis, licet a veritate non abhorreat, longe tamen absumus, ut de hoc constituamus leges firmas et constantes. Ceterum dyscrasia carcinosa regnante omnes aliae tacent: Rokitansky (Oesterr. medic. Jahrbuch. Bd. XVII) dyscrasiam tuberculosam et carcinosam se invicem excludere monstravit.

Ut vero ex illis dyscrasiis gignatur carcinosis, eo accedere videntur permultae causae, quas tamen certas dicere nequimus. Majoris quidem momenti sint: 1) Animi affectiones tristitia plenae; saepe nimirum carcinomata illos invadunt homines, qui moerore sollicitudineque multum urgentur. 2) Inopia et paupertas; quamquam carcinoma divites non fugit, multo tamen rarius eos corripit, quam homines tenues atque egentes. 3) Flagitia in Venere et Baccho, solitarum secretionum, ut mensium, fluoris albi et

haemorrhoidalis, sudoris pedum, ulcerum, ut vita integra servetur, plane necessariorum, oppressio etc. etc.

Aetas per se nullam habet vim ad carcinosis genesin certasque ejus formas. Complures species non rarius in evolutionis quam in involutionis, quam dicimus, periodo, imo in hac fere nunquam apparent, ut ossium carcinoma, ut fungus medullaris. Quod carcinoma durum, scirrhus genuinus, in sola aetate provectiore nobis occurrit, in nulla re alia causa quaerenda est, quam quod dyscrasiae, e quibus paritur, illis demum annis in corpore excitari possunt. Fungus medullaris ea de causa aetatem juvenilem magis invadere videtur, quia haec carcinosis forma plus minusve juncta est cum scrophulosi; constat enim, liberos, a parentibus genitos dyscrasia quacunque affectis, usque proclives esse ad scrophulosin.

Sexus in aetiologia nullius quoque momenti esse videtur, si quidem carcinomate aeque viri atque mulieres laborant, in his quidem sexuales potius partes, in illis locos alios sibi eligente.

Et antehac et recentissimis temporibus multum est disceptatum et decertatum, num vera carcinomatibus adscribenda sit contagio. Schoenlein hac in re optimas exhibuit observationes. Bene esse distinguendam dicit contagionem ab infectione, secretum carcinosum omnino miasmaticis simile esse, quum aves conclavi inclusae, quo complures carcinomate affecti in lectis jacent, post paucos dies moriantur, atque corporis partes recenter vulneratae, ichore carcinoso tactae, mox in gangraenam transeant; nunquam tamen in alios homines translatum carcinomata vera proferre. Aliberti experimenta, quibus ichor carcinosus in animalia et homines translatus est, ad irritum ceciderunt. Langenbeck jun. autem experimentis praeclarissimis, in animalibus institutis, confirmavit, ut confutare minime queas, in ichore carcinoso non id inesse contagium, quod hujus vocis vera notione intelligere solemus; sed in cellulis carcinosis incolumibus, vivis, cum succo carcinoso e mediis tumoribus recenter haustis morbi seminium inhaerere, quod quidem ex hominibus in ipsum animalium sanguinis circuitum transfusum veros creare tumores carcinosos valeat, iis plane pares, e quibus cellulae sunt petitae.

VITA.

Natus sum Carolus Gustavus Ahlemeyer Herfordiae, urbe in Guestphalia, die Vto. a. Cal. Jan. anni MDCCCXXI parentibus Francisco Ahlemeyer, Dr. med. et chir., medico publico, et Carolina e gente Dike oriunda, quibus jam puerulum me praematura mors orbavit. Fidei catholicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus, per tres annos Gymnasii Herfordensis et per sex annos Paderbornensis scholas frequentavi. Tum testimonio maturitatis instructus, autumno anni h. s. trigesimi octavi in almam abii universitatem Bonnensem, ubi rector magnificus Ill. Mayer in civium academicorum numerum me recepit et Ill Wutzer, tum temporis decanus spectatissimus, nomen meum in ordinis medici album inscripsit. Bonnae hos viros audivi disserentes:

Ill. Delbrück de hodegetice; Ill. van Calker de logice et philosophiae encyclopaedia; Ill. Fichte de psychologia et anthropologia; Ill. Naumann de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Plücker de physice experimentali; Ill. G. Bischof de chemia organica et anorganica; Ill. Goldfuss de zoologia et zootomia; Ill. Mayer una cum Ill. Weber de anatomia.

Tum anno praeterito Gottingam me contuli, ubi prorectore magnifico Ill. Gieseler medicinae studiosis in Georgia Augusta adscriptus sum et lectionibus interfui, quas habuerunt:

Ill. Langenbeck sen. de anatomia, de chirurgia una cum aciurgia; Ill. Langenbeck jun. de physiologia et anatomia pathologica; Ill. Wöhler de chemia et pharmacia; Ill. Ruete de materia medica et arte formulas medicas conscribendi; Ill. de Siebold de arte obstetricia et medicina forensi; Ill. Fuchs de pathologia et therapia generali, de pathologia et therapia speciali; separatim de morbis nervorum et cutis; Ill. Wagner de anatomia comparativa et de historia naturae generali. In arte cadavera secandi Ill. Langenbeck sen. et prosector Exp. Pauli, in operationibus obstetriciis phantomatis auxilio Ill. Trefurt me erudierunt. Scholas clinicas medicas Ill. Fuchs, chirurgicas et ophthalmiatricas Ill. Langenbeck sen., obstetricias Ill. de Siebold adii.

Deinde autumno anni MDCCCXLI hanc Berolinensem petii Musarum sedem insignem, et Rectore magnifico Ill. Dieterici apud Ill. Juengken, decanum ordinis medici spectatissimum, nomen professus sum. Ill. Mitscherlich chemiam organicam; Cel. Romberg diagnosticen et propaedeuticen, morborum praecipue pectoris et nervorum; Cel. Troschel artem fascias rite applicandi; Cel. Isensee morbos cutaneos me docuerunt. In scholis clinicis duces mihi fuerunt, in paediatricis et medicis Cel. Romberg, in medicis Ill. Schoenlein, in chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago quam maximas et semper habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione sententiisque, quae infra scriptae sunt, defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Simplex est verum.
2. Contendo, te nullam, nisi totius, naturae scientiam habere.
3. Non est generatio aequivoca.
4. Morbi symptomata tantum cognoscis; si haec tollis, morbum curas et sanas.
5. Medicamenta non agunt, nisi in sanguinem recepta.
6. Foetus ab ipsa conceptione vivus est habendus.
7. Hunteri methodum, in aneurysmatibus operandi, caeteris multum praefero.